

ablutionis bibatur aqua. Ajunt in pulverem tritum, & iis medicamentis inditum, quæ venerem excitant, ea valentiora efficere. Quin & dysentericis mederi magno successu à nonnullis expertum est. Cervi genitale auxiliari serpentium moribus autor est quoque Nicander in Theriacis hoc carmine, à quo sumpsisse videtur Dioscorides:

Ἡ ἐν ἡδὲ ἐξ ἐλάφοιο ταμίον ποσειδῶ βογαίον.

Nomina. Quod αἰδούρ ἐλάφου Græci, Genitale cervi Latini dicunt: Itali, Verga del cervo.

ὄνυχας ὄνυχας, καὶ αἰγῶν.

UNGULÆ ASINI ET CAPRÆ.  
CAP. XL.

Ungularum asini cinis per dies multos binis cochlearibus potus, proditur comitiales adjuvare: eadem oleo subactæ strumas discutiunt: & illitæ pernionibus medentur. Caprinarum cinere perunctæ ex aceto alopecie sanantur.



Ungula-  
rū vires.

Nomina. Non solum Asini & Caprarum ungula in medicum veniunt usum, sed & Vaccarum, ex prioribus tantum pedibus exuta, ut auctor est Rhafis libello de bo. animalibus. Siquidem harum combustarum cinerem potum, nutritibus lactis copiam præbere existimat: Mularum verò mulieres infacundas reddere. Quin etiam mures earum suffitu sugari, ipsis carbonibus impositis & accensis. Earum nomen Græcum ὄνυχας, Latinum Ungues & Ungula: Arabicum Chasit, Sres & Dalef: Italicum Ungie: Hispanicum Unhas de animal: Gallicum Ongie.

λεχέων ἱππων.

LICHENES EQUORUM. CAP. XLI.

Lichenes sunt in equorum genibus, & super ungulas indurati calli, qui triti, & in aceto poti, comitialibus mederi traduntur.

LICHENES EQUORUM.



Callorū  
equi vi-  
res.

DE Callis, qui equorum cruribus innascuntur, meminit Plinius libro 28. capite 10. & 15. iisq. tritis, & per aurem cum oleo infusis, dentium dolorem mulceri scribit, diebusq. quadraginta ex vino aut mulso potu calculos expelli. Ceterum



Ceterum Galenus, cui etiam subscribit Paulus, addidit hos quibusdam usurpari ad quemlibet animalium morsum: Aet<sup>er</sup> Nomina, xivis innoxia Græcis, Latinis verò Lichenes equorum nominantur: Arabibus Zeide: Italis Calli de cavalli: Hispanis Im- pigenes dellos cavallos: Gallis, Cal des jambes des chevaux.

Κατ' ἑρμηνείαν.

## CORIA VETERAMENTARIA. CAP. XLII.

Veteris corii cremati illitus cinis ambusta igni, intertrigines, necnon calceamentorum attritus sanat.

- 10 **C**oria vetera, quæ videlicet veteramentorum sunt, iusta (ut Galenus memoria prodidit libro 11. de simplicium medi- camentorum facultatibus) ad attritiones commodari calceamentorum scriptum à quibusdam est, tanquam scilicet hoc faciant ex antipathia quadam. Certè quæ phlegmone obsidentur, haudquaquam juvantur: verum ubi sedata fuerit phlegmone, non injuria juvantur, nempe quia resiccantur: hæc Galenus. Ceterum veteramenta prunis accenso fumo na- ribus accepto, efficacissimum constat esse remedium ad vulvæ strangulatus, ut mihi quoque experientia comprobatum est: quandoquidem hoc tantum remedio ego deploratas in eo affectu mulieres incolumes pluries reddidi. Us similiter accensis serpentes efficaciter fugari compertum est, neque eos modò, qui in domibus nostris oberrant: sed eos etiam, qui in hominum corpora ingrediuntur, dum homines per astatem alto somno oppressi, ore aperto in campestribus obdormiunt. Quod scriptis tradidit Marcus Gattinaria nostræ ætatis medicus non contemnendus, accidisse suo tempore cuidam homini, cui cum su- stra adhibita essent innumera medicamenta, ipsaq; alioquin efficacissima, illud tamen magnificè præstitit veteramento- rum sumus trajectorio in corpus haustus. Siquidem cum primum immanis fera (erat enim vipera non parva) fumum do- rem præsensit, visa est à circumstantibus egredi per anum, non sine magna omnium admiratione. Κατ' ἑρμηνείαν sic Græci, quæ Latini Coria veteramentaria vocant: Arabes Geldalatiche: Itali Scarpe vecchie: Hispani Zepatos viegos.

Vetera- mentorū vires ex Galeno.

Vipera ex homi- ne fuga- ta.

Nomina.

Αλεξιδιπλαρεζα δελανθέρης.

## GALLINÆ ET GALLI. CAP. XLIII.

- Dissectæ gallinæ, & adhuc calentes appositæ, serpentium moribus auxiliantur: sed identidem alias sufficere oportet. Earum cerebellum in vino bibendum datur contra serpentium morsus: sangui- nem à cerebri membrana profluentem sistit. Quæ interiore ventriculi galli sinu refidet membrana, secta in laminas cornus specie similis (ea verò inter coquendum abiici solet) siccat, et itaque in vino conve- nientissimè stomachicis datur in potu. † Jus è vetere gallinaceo aivum deiecit. Abiectis itaque interaneis falem conjici oportet, & confuto ventre decoqui in viginti sextariis aquæ, donec ad tres heminas redi- gantur: totum id refrigeratum sub divo, datur. Aliqui incoquant olus marinum, mercurial- m, cnicum aut filiculam. Crudos humores, crassosq; attrita bilem, & strigmenta elicit: prodest longis febribus, su- spiriis, articulariis morbis & inflationibus stomachi.

## GALLINÆ ET GALLI



- 40 **T**ametsi Gallinarum jus simplex (ut Galeno proditum est libro 11. simplicium medicamentorum) retinendi vim ha- beat: gallorum tamen veterum cum sale diutius decoctorum subducendi facultatem obrinet. Adversus serpentium morsus tam gallinis, quàm gallinaceis utuntur medici, non tantum ipsis dissectis & apposis (ut docet Dioscorides) sed vi- ventibus adhuc plantas detrahunt ab ano, eumq; deorsum partibus apponunt: attrahunt enim hæc animalia cucurbitu- larum modo in se venenum, quo mox interficiuntur. Quamobrem alios gallinaceos vivos continuo apponere necesse est, donec injectum virus penitus absumatur. Utuntur præterea gallinarum adolescentium jure, ad aquandos corporis humo- res: post febrium discessum, cum saccharo serapii modo. Ad hæc gallorum cum gallinis nondum coeuntium testes, deperditas in morbis vires mirificè restitunt: quam ob causam hæctici & marasmo laborantibus, morborumq; diuturnitate macre- factis utiliter exhibentur. Insuper gallinaceorum testes semen prolificum suppeditant, & venereas roborant vires. Plinius cum de gallinis differeret lib. 29. cap. 4. hæc inter cetera memoria prodidit. Non præteribo (inquit) miraculum quan- quam ad medicinam non pertinens, si auro liquefcenti gallinarum membra misceantur, consumunt illud in se, ita hoc ve- nenum auri est. At gallinaceis ipsis circulo è sarmentis addito collo, non canunt. In quibus illud quoque, sibi à natura datum, non est non summopere admirandum, quod noctis horas distinguant suo cantu: qua in re nunquam adeo somno capiun- tur,

Gallorū &amp; galli- narum vires ex Galen. &amp; aliis.







ramaligna. Miscetur quoque, utiliter medicamentis profluvium sanguinis ex cerebri membranis supprimentibus, qua nimium citra morsum illinuntur, atque astringunt. Sed & ad ulcera rebellia miscetur iis, qua absque morsu ea possunt desiccare; cuiusmodi est medicamen Pompholyx elota, & metallicorum quedam elota, de quibus privatim supra differimus. Porro & ipse vitellus ad similes est natura, ac proinde miscetur ceratis morsus expertibus, ovum videlicet aut elixis, aut assis. Verum id tamen manifestum est inter hac leviculam existere differentiam, quod paulo plus desiccant qua sunt assae partes. ac quantum huius accipiunt facultatis, tantum deperdant de mitigandi potentia. Miscetur & cataplasmatibus phlegmonem arcentibus, ut iis qua ex meliloto constant, sedi applicandis. Crudo vero ovototo utimur admixto rosaceo ad palpebrarum, aurium, mammarumque, phlegmonas, qua scilicet aut ictis illis, aut alio quovis modo evenerint, aut extiterint in nervosis corporibus, puta cubito, & digitorum tendonibus, aut articulis, idque in pedibus pariter, & manibus. Porro in aceto coctum ovum si edatur fluxiones ventris desiccet. At si etiam quippiam eorum, ad dysenteriam, aut celiacum affectum conveniunt, illi miscueris, atque in igne modico, fumique, experte (qualis est, qui ex prunis constat) in sartagine frixeris, edendumque ita praebeas, non minime sane laborantes adjuveris. Aptissima talem ad missionem sunt omphacium, rhus, tum ipse qui cibis aspergitur erythros nuncupatus, tum succus ipsius, galla, sidia, hoc est mali granati putamina, cinis cochlearum integrarum ustarum. Aptae quoque, & uvarum acini, & myrta, & mespila, & corna. Magis istis medicamentosa sunt balaustium, hypocistis, cytini, sive mali punici flores. Sed & ad ambustiones protinus crudum impositum est utile, sive quis seorsum albumen duntaxat ipsum molli lana excipiat, sive etiam cum vitello totum commiscens applicet. Etenim mediocriter refrigerat, & citra morsum desiccet. Nam medicamentis, qua humiditates desiccant, aut elixum, aut assum, aut in sartagine frictum miscetur: iis vero, qua crassa in pectore, pulmoneque, incidunt, sorbibile quod vocant: id quod in aqua eo usque, lixari debet, dum incaluerit. Eiusdem ipsius naturae nomine & ad eos, quibus fauces aut ex vociferatione, aut ex humorum acrimonia exasperatae sunt, assumitur: tum scilicet quod affectis partibus illinitur, atque cataplasmatibus modo inhaeret: tum quod substantiae suae lenitate ea mitigat, sanatque. Eadem ratione stomachi, ventris, intestinorum, ac vesicae medetur asperitatibus: haec Galenus. Ovum recentissime exclusum, si crudum dum adhuc calet absorbeatur, praestat maximo sane auxilio, cum ad alba foeminarum profluvia, tum quoque, ad gonorrhoeam. Caterum oleum, quod ex vitellis diu in sartagine fixis elicitur, illud asperitatibus cutaneis mirifice prodest: serpiginis, & vitiliginis emendat: rimas labiorum, manuum, sedumque, sanat. Quinetiam ulcerum dolores, & articulorum cruciatus mulcet. Prodest & aurium doloribus, atque ulceribus: item ambustus utiliter illinitur: cerebri contusas membranas putrilagine affectas mirum in modum a partibus sanis segregat, ut nos compluries magno cum honore periculum fecimus. Ex ovis praeterea omnibus volucribus generatio evenit, quanquam & aquatilibus fere omnibus, praeterquam phoca, delphino, & aliis nonnullis. Gigantur item ex iis & terrestribus quedam, ut crocodili, lacerta, testudines, stelliones, & alia: & e reptilibus omnia, viperam excepta. Verum, ut Hippocrates auctor est libro de natura pueri, seu fetus (nisi forte assis librariorum culpa eo in loco codex sit depravatus) pullus ex vitello nascitur, informatumque, ex albumine vero alimentum, & augmentum capeffit. Cui sane sententiae illud prorsus refragatur, quod de pullorum creatione longo satius sermone posteritatis memoria prodidit Aristoteles lib. 6. cap. 3. de hist. animalium. Illud insuper eam refellit sententiam, quod experientia saepe a mulierculis compertum est, qua suis gallinis ova incubanda subijciunt. Siquidem exempto quandoque, fetu, die uno, atque duobus ante tempus exclusionis, fractis pulli visceribus magnam vitelli partem invenerunt in corpus assumptam. Testudinum ova, quanquam diutius elixantur: nunquam tamen eorum album concretum, quamvis luteum admodum durecat. Praeterea experimento compertum habeo testudines statim ova non edere cum testa obducuntur, quemadmodum volucres, sed postquam omnia, qua in corpore fuerint, testaceum contraxerint putamen: namque, mihi quandoque, contigit dissecuisse testudinem, qua utero septena gerebat ova, suo putamine obducta, quod & serpentibus evenire quidam existimant. Ovum quod Latini, ὄν Graci vocant: Arabes, Naid, Beid, seu Baid: Itali, Vovo: Germani, Ein Ey: Hispanis, Huevo, & ovo: Gallicis Oeuf.

Ovorum

Oleum  
ex ovorum  
luteis.Animalia  
ex ovorum  
via orta.

Ova testudinum.

Nomina.

Cicadae.

CICADÆ.

CAP. XLV.

Cicadae, quae inassatae manduntur, vesicae doloribus profunt.

CICADÆ.



Aa 4

Cicada



Cicada-  
rum con-  
sideratio.

**C**icada passim in Italia cognoscuntur, atq; adeo inibi vulgaris noticia sunt, ut saepe aestate assiduo cantu messorum, & agricolas, ac viatores in campestribus obtundant. Ceterum, quemadmodum tradidit Aristoteles lib. 5. cap. 30. de historia animalium, & Plinius lib. 11. cap. 27. qui certè ea omnia Aristoteli accepta referre potest: Cicadarum duo sunt genera: alia enim minores, quae prima prodeunt, & novissima pereunt; alia majores, quae canunt, eademq; novissima prodeunt & prima intereunt. Sunt quae canunt praecinctu dividuae sive minores, sive majores sunt: quae autem non canunt, individuae sunt. Pariunt in arvis cessantibus excavantes futura locum asperitate praecuta, quam parte habent posteriore, quemadmodum & bruci. Quinetiam in arundinibus, quo adminiculo vites eriguntur, nidum futurae excavant. Proveniunt large copia imbrum. Crescit primo in terra vermiculus, deinde fit ex eo, quae tettigometra vocatur parentis nomine, quo tempore gustu suavisima sunt, antequam cortex rumpatur. Postmodum circa solstitia noctu exeunt, statimq; rupto cortice prodeunt cicadae ex matrice illa cicada, quam modo tettigometram dixi. Mares canunt in utroq; genere, femina vero silent. Unum hoc animal, ex iis quae vivunt, sine ore est. Pro eo quiddam aculeatum linguis simile habent, & hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipsum fistulosum, unde illi redditur cantus. Oleas maxime amant, ut minus umbrosas; quanquam & ceteras non aspernantur arbores: proinde ubi arbores desunt nasci non possunt. Loca praeterea frigidiore oderunt: quamobrem in umbrosis nemoribus esse nequeunt, nec in frigidis etiamnum regionibus. Quo factum est, ut crediderit Albertus cognomento magnus gryllos, qui noctu strident, cicadas esse: quippe quod in Germania, qua fuit oriundus frigidissima regione ad Arcticum spectante, tametsi frequentes habeantur grylli aestate in campestribus, hyeme vero ad hypocaustorum fornaces plerumq; stabulantes, cicadae tamen desunt. Parthi cicadas vescuntur, quemadmodum & gentes ad Orientem. Idcirco mirum non est, quod dixerit Aristoteles, eas esse gustu suavisimas, antequam tettigometra rumpatur cortex. Cacinus fluvius (ut Pansanias est autor) Locrensem agrum, a Rhegino dividens, cicadarum miraculo est memorabilis. Citerioris enim Locridis accola, atq; alia omnes arguta sunt. At in Rheginorum finibus trans Cacinum, nulla est omnino cicada vocalis. Cicadarum vires descripsit Galenus lib. 11. simplicium medicamentorum sic inquit: Sed & cicadis siccis quidam utuntur ad colicos affectus, cum paribus numero piperis granis dantq; aut tres, aut quinq; aut septem, per intermissionem videlicet, & ipsos etiam paroxysmos. Porro alij assas edendas offerunt, quibus affecta vesica est.

Cicada-  
rum vices  
ex Gal.

Nomina.

Terj, et Grack, Cicada Latinis dicuntur: Italis Cigale: Hispanis, Cignattregas: Gallis Sigale.

Angi. Aut.

LOCUSTÆ.

CAP. XLVI.

**L**ocustæ odoris suffitu urinæ difficultates adjuvant, praesertim quæ fœminas malè habent: earum carnes nullo sunt in usu. Est & quoddam genus locustæ, quæ asiracos, aut onos dicitur, sine pennis, prælongis cruribus. Exiccata autem si ex vino bibatur, contra scorpionis morsus magnopere proderit. Hac abunde vescuntur Aphri, qui Leptin incolunt.

## LOCUSTÆ.

Locusta-  
rum con-  
sideratio.

**L**ocusta omnibus nota, varia promorum & locorum diversitate sortiuntur nomina. Verum herbis & segetibus infestissima, quod saepius quibusdam in regionibus paucis admodum diebus universa terra germina absument. Earum, quemadmodum tradidit Aristoteles lib. 5. cap. 28. de historia animalium, qui mares sunt, seminis magnitudine cedunt. Pariunt in terra fixo caudiculo, quo mares vacant: ac universa, & loco eodem sortum deponunt, ita ut quasi farvis esse videatur. Hinc vermiculi, speciem ovi gerentes oriuntur, qui terra quadam prætenui tanquam membranula ambiuntur: qua disiecta emergunt locustæ ac evolvunt. Tam mollis sortura hæc est, ut ad tactum levissimum dilabatur & pereat. Pariunt exitu veris, & statim a partu moriuntur, vermiculus circa collum in nascentibus tempore partu qui eas strangulent. Mares quoq; eodem tempore obeunt. Locis montanis, aut tenuibus locustæ non fiunt, sed planis rivosq;: pariunt enim in rimis sua ora. Transseunt Locustæ immensa maria, immensosq; tractus permeant (ut Plinius inquit) diraq; messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsu erodentes. Italiam ex Aphrica maxime coorte infestant, tanta sanè multitudine, ut solem obumbrant sollicitè suspectantibus populi, ne sistentes suas operiant terras, quod non modò universas cum segetes, tum herbas devorent ad radicem usq; sed & radices ipsas regerminare prohibeant. Hujus rei testimonio fuere inaudita Locustarum agmina, quæ nostro tempore volvente anno Domini M. D. XLII. ex paludibus Maotidibus profecta, non solum universam Pannoniam, maximamq; Germaniam partem sed totam etiam Italiam occuparunt, non sine magna omnium terra nascentium perniciè: siquidem omnè segetem, omnemq; viventem herbam radicibus devorant. Hæc Parthis in cibo grata. Quamobrem admirandum non est, si sacris literis mandatum sit, ut Levitici 11. cap. legitur, a Moise

Locusta-  
rum a-  
gmina in  
Italia.  
Locustæ  
in cibis.



à Mose probatas esse in cibis. Nec mirum etiam, divum Joannem Baptistam in ex sylvestri melle victitasse in deserto: tametsi non desint interpretes, qui velint pro locustis quasdam herbarum radices intelligi: alii vero nonnulli arborum summitates. At mehercule in horum sententiam devenire nunquam potui: quin potius certo crediderim, ipsum nempe legis Mosaica sectatorem acerrimum, hisce Locustis animalibus victitasse, quemadmodum etiam sentit divus Augustinus, exponens divi Pauli epist. ad Romanos. In Cyrenaica regione (ut Plinius est auctor) lex est ter anno debellandi Locustas, primo ova obtrahendo, deinde forum, postremo adultas, desertoris poena in eum, qui cessaverit. Et in Lemno insula certa mensura praefinita est, quam singuli enecat arum ad magistratus referant. Necate & in Syria militari imperio coguntur: tot orbis partibus vagatur id malum. In India ternum pedum longitudinis esse traduntur, adeo ut faminarum crura servarum usum praebeant, cum inaruerint. Earum nomen Graecum ἀγροίαι, Latinum, Locusta: Italicum item Locusta: Hispanicum, Lagostas de tierra, & Gasanthotes grandes: Gallicum, Locuste & Santerelles.

Locustae  
debellantur.

Nomina,

Ovis.

OSSIFRAGUS.

CAP. XLVII.

## OSSIFRAGUS.

Venter ejus avis, quam Latini ossifragum appellant, particularim potus, calculos cum lotio pellere proditur.



Varia admodum est inter scriptores Ossifragi historia. Si-  
quidem Aristoteli volucris est aquila major, colore cinereo, albicante. Probè hac satisfacta & vivit. Pia & benigna est: non enim suorum tantum nutrit pullos, sed & aquila. Cum autem illa suos ex nido eiecerit, antequam adolevant, quod inter se cibi aviditate dimicent, hac recipit eos, & educat. Parum Ossifragus oculis valet: nubecula enim oculos habet laesos. At Plinio libr. 10. cap. 3. Ossifragus in aquilarum genere annumeratur, usque ab eodem proditur ex haliaëto, hoc est, aquila marina natus. Marinam hanc suum genus non habere, sed ex diverso aquilarum coitu nasci, idem auctor est. Alberto praeerea Ossifragus ea videtur avis, quam idem lib. 23. Arabica voce appellat Kirri, cum sic inquit: Kirri avis est praeda vititans, bona pullificationis, & diligenter pullos nutrens, non solum suos, sed & ab aquila abjectos radio nutriendi: hac ille. Qui vel clarius meminit Ossifragi inter aquilarum genera, ubi ita scribit: Quintum autem aquila genus est parvulum valde, & a quibusdam vocatur frangens os, eo quod quando carnes comedit, ossa in altum desert, & super lapidem cadere permittit, ut ex eis confractis medullam sugat: haec enim Albertus. Verum is ab Aristotele dissentire manifestè cognoscitur, quod Aristoteli Ossifragus non sit genus aquila minimum, sed avis major aquila, dempta Germana. Quo fit, ut in hac historia Albertum hallucinatum esse credam, quemadmodum & Plinium in eadem deceptum puto. Namq; marina illa clarissima aquila vocata (ut Aristoteles tradit) oculorum acie maxime pollet, ac pullos adhuc implumes cogit adversum intueri solem: tum ejus oculi prius lachrymarint, hunc occidit, reliquum educat. Id quod abundè ostendit hac in re Plinium errasse, atq; oscitantem fortasse Aristotelem legisse, quippe cum marina aquila pulli acerrimi omnino sint visus, nullam in cum Ossifrago cognationem habere videntur, quod hic potius quadantenus cecitate laboret. Caterum, quod nobis esset Alberti codex librarius culpa depravatus, in quo ossifrago pro ossina legebatur, jam dudum credidimus ossifragum apud Albertum eam avem esse, quae in maritimis nostris Senensibus circa Herculi portum, & Orbetelli stagnum frequens visitur, cygno major, rostro longo, inferiori parte sacculi instar ampli. Hac autem incolis vulgò vocatur Agrotto. Sed cum postea animadvertissem Albertum in hac historia aperte Aristoteli refragari, atq; aliud Alberti exemplar natum essem, in quo ossina, non ossifraga, ut vitiose in alio scriptum erat, cepi eos acriter accusare librarios, quorum negligentia in causa fuit, ut in hoc mihi ipsi haecenus imponerem, secutus depravatam Alberti lectionem.

Ossifragi  
consider.Plinii o.  
pinto.Alberti  
sententiaAlberti  
& Plinii  
lapsus.

Avis, quae Graecis οἰσφραγίς, Latinis Ossifragus nominatur.

Nomina.

Kopuladēs.

GALERITA.

CAP. XLVIII.

Galerita avicula est parva, apicem in vertice, pavonis modo, gestans. Haec assa & in cibo sumpta, coeliacos adjuvat.

Audarum (ut memoria prodidit Aristoteles libro 9. cap. 25. de historia animalium) duo sunt genera. Alterum Alauda terrenum, cristatum, Galerita à crista appellatum. Alterum gregale, nec singulare, more alterius, verum colore simile: quanquam magnitudine minus & galero carens. Campestres ambae sunt aves, vermiculū victitantes, decidentibus seminibus. Mares suaviter canunt, primaeque sunt aves, quae astatem cantu pronunciant. Porro Alauda adeo ad aucupes aves expavescunt, ut saepe, dum sentiunt se persequi, in hominum gremia confugiant, ne rapiantur. Mares in caveis diutius retenti, altero sapius obcitantur oculo. Quae avis Graecè κορυδαίνης: Latine Galerita & alauda vocatur: Arabice Hanabroch seu Kanabroch: Italicè Lodola: Germanicè Walb Lerch: Hispanicè Cucuyada: Gallicè Aluoette.

Nomina.

GALE-





Χελιδόν.

HIRUNDO.

CAP. XLIX.

**D**issectis crescente luna pullis hirundinis, qui primo partu exclusi sunt, in ventre eorum lapillos offendes: è quibus duos, unum colore varium, alterum purum eximes: ii priusquam terram attigerint, in juvenæ corio, aut cervina pelle, brachio aut collo adalligati, comitialibus proderunt, & sæpe prorsus eos recreabunt. Hirundines uti ficedulæ, in cibo, aciei visus medicamentum præbent. Tam pulorum quàm matrum in fœtili olla crematarum cinis cum melle oblitus, oculis claritatem adfert: anginae eo commodè perunguntur: uvæ & tonsillarum inflammationibus hoc cinere succurritur. Et ipsæ & pulli exiccati, si drachmæ pondere ex aqua bibantur, hos juvant, qui anginae morbo conflantur.



Hirundinum hist.

Chelidonia.

Hirundinum vires ex Galen.

Nomina.

**H**irundinum tria habentur genera: unum nostra tellus subit: alterum vetustorum adificiorum muros, cavernulas, & montium scopulos expetit: tertium verò nidificat in altis fluminum ripis. Ha quotannis (ut Plinius auctor est) ex Africa maria transeunt, appetente vere ad nos advolant, & Martio plerumq. Mense nostras ingrediuntur ades: ibique è luto, & quibusdam stramentis sibi construunt nidos, in quibus ova pariunt, & his pullos excludunt, tantum humanae similitudine benignitatem: atq. ubi ultimos educaverint partus, æquinoctii autumnalis tempore, in se remigrant regiones. Chelidoniam herbam ab his inventam tradunt, unde illi nomen est inditum. Hanc suis obocatis pullis deferunt in nidum, hoc tantum medicamento iis visum reddentes. Quinetiam experientia compertum esse quidam ajunt, quod si data opera pulorum hirundinum oculi acu perforentur, sanantur paucis diebus, allata à matre chelidonia herba. Hinc igitur edocti medici ad oculorum claritatem chelidonium adhibent: sed hu refragatur Aristoteles, ut in majori chelidonio inferius differemus. Hirundinum verò stercore oppositum præstat: excacat enim, si calidum in oculos decidat. Quod etiam sacra restantur monumenta, in quibus, Tobiam hoc stercore excacatum fuisse, legitur. Ceterum vires Hirundinum recensuit Galenus lib. 11. de simpl. medic. facultatibus sic inquit: Hirundinibus quoq. usi sunt multi, comburentes videlicet, & cineri mel admiscuentes, ac deinde synanchicos inungentes, & in totum omnes quicunq. in faucibus atq. columella cum tumoribus consistunt affectus. Utuntur & ad acuendum visum hoc cinere nonnulli. Alii verò eas arefactas drachmæ pondere bibendas exhibent. Avis Χελιδών Græcis, Hirundo Latinis appellatur: Arabibus, Thartaf, Chatas aut Chatas: Italis Rondine: Germanis Schwalb: Hispanis Golandrina & Andorinha: Gallis Arondelles.

Ε'λέφας.

EBUR.

CAP. L.

**E**Boris scobe illito, paronychia sanantur. Vim adstringendi ebur obtinet.

Omnibus





20

- Omibus sanè perspicuum est, nil aliud Ebur esse, quàm Elephantinorum dentium materies, multis apta operibus, tametsi Pausanias libro quinto descriptionis veteris Græciæ, non dentium sed cornuum materiem esse ebur describat, his verbis. Quod ad ebur verò pertinet, si qui hominum sannas illas esse è beluarum ore exertas, non cornua existimant, ab Alce illi Gallica fera, & tauris Aethiopicis specimen capiant. Alces enim qui mares sunt, (nam feminis nulla omnino prodeunt cornua) è superciliis, Aethiopici tauri è naribus cornua omnino extrudunt. Quis igitur in magno ponat miraculo esse animal, cuius ex ore erumpant cornua? Argumento & illud esse facile potest illam eboris molem cornua esse, quod bestiae sunt quæ raro certò, tempore cornua abiciant: rursumq; illa quoties amiserint rursum reponant. Hoc cervus, capreus, & item Elephantis accidit. Dens certè animali nullo jam adulto, cum semel decidit, renascitur. Quare si dentes essent, & non cornua, quæ natura vis, ut renascerentur efficere potuisset? Hæc & plura Pausanias. Elephantorum meminit Plinius longa admodum historia, initio libri octavi pluribus capitibus: tametsi non omnia, quæ scribit, probanda putaverim. Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines, item Mauritania & Aethiopia: sed maximos India mittit: si quaquam magnitudine cetera excedant quadrupeda, Aristotelis tamen testimonio adeò cecurantur, ut omnium ferarum mitissimi & placidissimi evadant: quippe qui per multa officia & erudiantur & intelligant. Corio Elephantis integuntur bubalino simili, ut is verum præbuit exemplum, quem Roma vidit Leonis decimi Pont. Max. ævo, etsi rarissimi horreat pilis. Caput eius magnum, collum breve, aures verò undiq; duum palmorum amplitudine: nasum, quem peculiariter in Elephantis promuscidem appellant, longissimum habent, concavum, grandis tubæ instar: hic infra anteriores dentes ad terram ferme promittitur, quo pro manibus utuntur. Os gerunt pectori proximum, ut quod cum suillo ineat similitudinem: è cuius superna parte dentes duo prominent præcipua magnitudinis (quales plurimi venales conspiciuntur Venetiis in publico foro, vulgò Merceria dicto, ac in aliis Italiae emporiis) qui prout cuspide deorsum vergunt. Pedibus nituntur rotundis, disci instar latitudine duum triumve palmorum, quos callosa materia obducit: ungulis quinque, circum, rotundi, mediocrium concharum magnitudine. Crura iis magna ac fortia, neq; (ut quidam imperiti existimant) uno tantum osse constant indivisa, sed genua flectunt, utpote & cetera quadrupeda. Quamobrem Elephantis (ut refert Aloisius Cadamustus, qui classe in Aethiopiam, & ad Calicut navigavit) ut eos, qui deferri volunt, suscipiant, genua submitunt, seseq; erigunt deinde. Elephantis cauda bubali, trium palmorum circiter longitudine, rarissimis setis referta. Quocirca haud facile se tueri possunt a muscarum injuria, nisi aliam illis industriam natura tribuisset, quæ ab eis se vindicent: quandoquidem ferientibus muscis, cutim, quam cancellatam obtinent, contrahunt, quo fit, ut arctatis in rugas repente cancellis, muscas comprehensas enecent. Homini- bus non nisi lacessiti nocent. Veruntamen irritati homines promuscide comprehensos, adeò in sublime jaciunt, ut priusquam in terram decidant, suffocentur & pereant. Adhuc nullus hominum tanta pernicitatis invenitur, quem mox Elephas non comprehendat, etiam non current, sed gradatim incedens. Id efficit vasta animalis moles: quandoquidem sui gressus longitudine, humanam omnem pernicitatem evincat. Vicitant arborum tam frondibus, quam fructibus: neq; ulla tam ingens est arbor, quam in promuscide non prosternant frangant ac dilacerent. Adolescent ad sexdecim palmorum altitudinem, quapropter qui eos conscendere non assueverunt, non secus fastidio afficiuntur, ac illi, qui navibus non assueti maria sulcant. Effrenes præterea adeò natura Elephantis sunt, ut nullis habenis cohiberi possint, quo fit, ut liberi incedere dimittantur: verum cum maximè gubernantibus suarum regionum hominibus pareant, & eorum sermonem intelligant, idcirco verbis facile reguntur. Adeò conspectum ignem expavescunt, ut eo territi à fuga revocari non queant. Quare ab iis non cognita, qui ejus Elephantis curam gerebant Roma in cuius dorso oppidulum construxerant, eo die, quo Julianus Medices Pontificis Max. frater uxorem è Gallia duxit, in magno sanè discrimine versati sunt: nam ubi bellica tormenta ignem eructantia conspexisset, magnumq; ac terrificum sonum sensisset, tanta se fuga dedit, ut nunquam cohiberi voluerit, donec una cum conclusis in oppidulo hominibus in Tiberim sese commiserit. Elephantis non coeunt neq; gignunt nisi annuum vigesimum agant, ut auctor est Aristoteles lib. 6. cap. 27. de historia animalium. Qua in re Plinii error manifestus deprehenditur: quippe qui marem quinquennem, feminam decennem generare memoria prodidit. Elephantis nulla novere adulteria: nam unius tantum semina coitu utuntur, eamq; cum iterum gerentem viderint, non amplius tangunt. Quantum verò temporis unaquæq; femina utero gerat, haudquaquam sciri potest: quod Elephantis pudore nunquam nisi in abdito coeant. Idcirco alii eis annum & sex menses statuerunt, alii biennium, alii deniq; triennium. Pariunt femina cum dolore, quemadmodum & mulieres. Pullum editum ore lambunt, qui statim cum natus est, cernit & ambulat. Vivere Elefantos (ut inquit Aristoteles) tradunt quidam annos ducentos: sed florere ætate circa sexagesimum vel septuagesimum narrant. Idem hyemis ac frigoris impatientes sunt. Gaudent annibus maximè, circaq; fluvios vagantur, quos intrant libenter bubalorum more. Ceterum Elephantis ingenio & intellectu hominibus proximi sunt: siquidem patrios sermones intelligunt, summam præstant obedientiam, prudentiam servant, & religionem præseferunt: solem namq; ac lunam

Elephan-  
torum hi-  
storia.Plinius  
de Ele-  
phanto.Error  
quorundam.Plinii la-  
plus.



Elephan-  
toru mi-  
ra sagaci-  
tas.

lunam venerantur. Cujus rei auctores sunt Mauritani, in quorum regionibus Elephanti innumeri conspiciuntur: qui gre-  
gatim nova nitescente luna ad amnes descendunt, ibiq; lavantur: mox purificati, genibus flexis salutant fidus, & in sylvas  
revertuntur. Sunt, qui tradant tanta intellectus sagacitate Elephantos pollere, ut maria transirent ad alienas regiones,  
non ante a naves conscendere voluerint, quam ii, qui eos ducebant, jurejurando de reditu promiserint. In sylvas ituri gre-  
gatim serè semper ingrediuntur, quorum agmen ducit natu maximus: cogit verò atate illi proximus. Produunt Elephan-  
tos à venatoribus circumventos, cum sciant pradam solum in dentibus suis ab illis exeri, dentibus vehementer impin-  
gentes arboribus eos sibi evellere, pradaq; se redimere. Quod facile crediderim vanum ac fabulosum esse: quemadmodum  
esse falsum superius ostendimus, quod fiber viso venatore sibi ipsi testes amputet. Elephanti omnes natura indomiti, syl-  
vestresq; sunt, mitescunt autem arte, ut plerq; alia fera animalia. Item si parvi & atate tenelli educantur: quanquam  
Plinius scribit, natu grandes domari fame & verberibus: praesertim si aliis domitis, qui tumultuantem coerceant, admo-  
veantur. Porro non desunt in Elephantorum genere, qui natura feritate nunquam domari possint, quales in Senega ( ut in  
suis navigationibus scriptum reliquit Aloisius Cadamustus ) Aethiopiae regno reperiuntur. Elephantorum dentes admira-  
bilu magnitudinis venales spectari possunt in compluribus Italiae urbibus, veluti Roma, Venetiis, Mediolani & Neapoli: è  
quibus non solum innumeri pectines parantur ad explicandos capillos, sed etiam alia plura instrumenta, quae ad huma-  
num usum accommodantur. Hinc itaq; fit, ut nesciam ego, qua ratione ductus Fuchsius, scripserit in libro de compositione  
medicamentorum, quem nuper auctum edidit, Ebur nullibi penè verum reperiri: atq; illud quod vulgò ejus vice in officini-  
is prostat, marinorum piscium dentes esse: quod in hoc erret evidentius est, quam ut a nobis ostendatur. Praestat Ebur ad  
albas mulierum fluxiones, si tamen in tenuissimum pulverem, lapide porphyreo redigatur, propineturq; ex lactuca semi-  
nis cremore, aqua in qua chalybs extinctus fuerit, prius macerato semine. Quod Græcis ἰλίπας, Latini Ebur nominatur:  
Italis Avorio: Germanis Hellsantbeyn: Hispanis Diente de elefante aut Marfil: Gallis Tivoire.

Fuchsi  
opinio  
falsa.  
Eboris  
vires.  
Nomina.

Ἀγρόπυλος ὀός.

SUILLUS TALUS.

CAP. LI.

Suis talus comburitur, dum è nigro albescat: qui tritus & potus inflationibus coli, longisq; tormini-  
bus medetur.



Nomina. Talus in animalibus os illud ultimum pedis est, quod tibia cruris annectitur. Id Græcis ἀγρόπυλος, vulgò autem os cla-  
vicula appellatur, de quo non opere pretium est, ut plura dicamus. Nomina subijciam. Græcum est ἀγρόπυλος & ὀός,  
Latinum Talus Suillus: Italicum Talone del porco: Hispanicum Tornizuelo de pie de puerco: Gallicum Talon de porceau.

Εἰς τὴν νύκτα.

CERVINUM CORNU.

CAP. LII.

Antiq.  
codex.  
ὀρίσκαι.  
i. utero  
affectis.

Cervini cornu cinis elotus, binis ligulis epotus, prodest dysentericis, excreantibus sanguinem, coelia-  
cis, a regio morbo & vesicæ doloribus cum tragacantha: fœminis fluxione vulvæ laborantibus,  
cum liquore huic rei accommodato. Cervi cornu contusum, crudo fœteli, luto circumlito, & in furnum  
indito, uritur donec albescat. Id cadmiæ modo elotum, ulceribus oculorum, & defluxionibus salutare  
est, infriatum dentes expurgat. Crudi cornu suffiti nidore serpentes fugantur, fervefactum in aceto, si eo  
gingivæ colluantur, maxillarum à dentitione dolorem adimit.

Cervorum  
historia.

Cervi animalia sunt notissima. Sed quoniam eorum natura non omnibus cognita est, ut candido cuiq; lectori fiat sa-  
tis, ea de Cervis hic referam, quæ Aristoteles tum 6. & 9. de histo. animalium libris, tum 4. de partibus eorundem  
posteritatis memoria prodidit. Cervi itaq; sylvestrium animalium genere constant, magnitudine asinorum, cursu velocis-  
simi & ingentibus armati cornibus. Ii cum turgente jam Venere coitum appetunt, adeo rabie libidinis saviunt, ut insa-  
miant, & maximo cum strepitu & clamore vagantur in sylvis: quos, ut convalles & montium cavitates, eorum boatu  
resonent. Tanto impetu, tantaq; rabie mares feruntur in coitum, ut saepe inter coeundum faminas declinent atq; proster-  
nant in terram. Cum autem maris genitale utpote durum, sustinere non possint famina, mantes & currentes coeunt &  
concupiunt. Mares non in eadem immorantur, sed mutant & hircorum modo, brevi interposito tempore aliam atq; aliam  
supergradiuntur. Si forte fortuna in unam tantum feminam concurrant plures, imis cornuum adminiculis, statim supra  
frontem enatis, acriter inter se pugnant ad mortem usq;. Cum mares impleverint faminas, separantur per se ipsi, & pro-  
pter libidinis graveolentiam quisq; solitarius scrobes fodit. Fatent ut hirci: facies quoq; eorum nigrescit aspergine, ut hir-  
corum.